



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Prooemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

dant, Deique monita ad suam ipforum vtilitatem animo habeant infita semper atque infixata. Singuli denique, ad maiorem Dei immortalis Domini sui amplitudinem & gloriam, tum dictis tum factis pie grateque, quoquo modo poterint, bene faciunt. Ita enim tandem aliquando cumulate diuinam omnes consequemur miserationem. Collaudetur nomen Domini in perpetuum: ei laus, honos, & gloria, in omnes sæculorum ætates. Deus rerum omnium præpotens nostri, prout eius fecerit voluntas, omnium misereatur. Amen.

## LEGVM ECCLESIASTICARVM

## CANVTI REGIS PRISCA VERSIO,

vt habetur e manuscripto regio.

## TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De dilectione Dei & proximi.                  | XV. De decimis.   |
| II. De pace ecclesiarum.                         | XVI. De romeseoh.   |
| III. De infractione pacis ecclesiarum.           | XVII. De ciricsecat.  |
| IV. De dignitate sacerdotum.                     | XVIII. De tainis qui ecclesias habent, vbi atrium est, vel non. |
| V. De accusatione sacerdotum.                    | XIX. De luminaribus ecclesiarum.                                |
| VI. De diaconibus & ceteris gradibus.            | XX. De sepultura.   |
| VII. De vulgaribus sacerdotibus.                 | XXI. De corporibus translatis de parochia sua.                  |
| VIII. De altari feruentibus.                     | XXII. De feriatione diei dominica, & solennitatibus sanctorum.  |
| IX. De accusatis sacerdotibus homicidio.         | XXIII. De iuniis.   |
| X. De monachis.                                  | XXIV. De temporibus leges faciendi, & non faciendi.             |
| XI. De periuriis sacerdotum.                     | XXV. De confessione & pœnitentia.                               |
| XII. Exhortatio singulorum, & maxime prælatorum. | XXVI. De fidelitate dominis exhibenda.                          |
| XIII. De timore pœnarum.                         | XXVII. De doctrina Christiana.                                  |
| XIV. De ducendis vxoribus.                       |   |

## P R O O E M I V M.

**H**ÆC sunt instituta Cnudi regis Anglorum, Danorum, Norvvegarum, venerando sapientum consilio eius ad laudem & gloriam Dei, & suam regalitatem, & commune commodum habita, in sancto natali Domini apud Vvintoniam, † diligenter ac fideliter in Latinum translata, † Sequentia non habentur in Saxonico.

Sf iij

compendiosa breuitate cum simplicitate lucida velut suis asteriscis illustrata. Vnde quarundam rerum & verborum affinitatem, paucorum adiectione, vel omissione, curauerim facile sobrius lector agnoscet. Sequuntur & aliorum iura regum plurimorum, de quibus teneri liceat quidquid ista contemplatione non discrepat.

## LEGES ECCLESIASTICÆ.

## I.

In primis est, vt Deum & Dominum nostrum tota mente diligamus, & vnã Christianitatis sanctæ fidem catholicam orthodoxe teneamus, & sanctam Dei ecclesiam pacificare, custodire, frequentare, ad nostram semper vtilitatem gaudeamus.

## II.

Omnis ecclesia sub propria Dei omnipotentis protectione consistet, & Christianis omnibus magnam super his reuerentiam exhibere conuenit: quia Dei pax super omnem pacis actionem specialius exoptanda, propensius est obseruanda, & postea regis. Et valde rectum est, vt ecclesiæ pax intra parietes suos, & pax Christiani regis, quam manu sua dederit, semper inconuulsa permaneat. Quicumque alterutram perfregerit, de vita & omnibus in misericordia regis sit.

## III.

Si quis amodo pacem ecclesiæ Dei violabit, vt intra parietes eius homicidium faciat, hoc inemendabile sit, & prosequatur eum omnis qui Deum diligit: nisi contingat vt per aliquod pacis confugium rex ei vitam concedat, plenis emendationibus erga Deum & homines. Et hoc tunc in primis sit; vt precium natalis sui Christo persoluat & regi, & per hoc se inlegiet ad emendandum. Si tunc ad emendationem veniat, & rex ita patiatur, emendet ecclesiæ pacem in ipsam ecclesiam plena regis mundicie: & reconciliationem ecclesiæ quarat, sicut ad eam pertinebit: & magbotam & manbotam plene reddat, & saltem apud Deum sedulo componat. Si vero aliter sine interfectione pax ecclesiæ fracta sit, emendetur secundum quod acciderit; sit per pugnam, sit per robariam, sit per id quod sit, emendetur primitus infractio pacis in ipsam ecclesiam